

habeant) assertierit; tamen cum animas ante peccasse docuerit, quam corporibus conjungerentur, non originale, sed habituale peccatum, in superiori vita commisum in baptismo tolli autumasse a quibusdam censetur.

3<sup>a</sup>. Est PELAGIANORUM, quorum capitale dogma et veluti cæterorum errorum omnium basis erat negatio peccati originalis. Hoc autem sequentibus articulis, ut ex MARIO MERCATORE coœvo in Commonitorio, Conciliis Carthaginensi et Diospolitanis, et S. AUGUSTINO in L. 2. de grat. et pecc. orig. aliisque discimus, constabat. 1<sup>o</sup>. Adamum mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, fuisset moriturus. 2<sup>o</sup>. Quoniam peccatum Adæ ipsum solum laesit, et non genus humanum. 3<sup>o</sup>. Quoniam infantes, qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem. 4<sup>o</sup>. Quoniam neque per mortem Adæ omne genus hominum moritur, quia neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgit. 5<sup>o</sup>. Quoniam infantes, etiamsi non baptizentur, habent vitam aeternam. Atque de hac una classe hic et in posterum a nobis agetur.

#### 69. Dico II. Erroris hujus auctores et sectatores nonnihil variarunt.

Variatio 1<sup>a</sup>. evenit inter ipsos auctores, CELESTIUM nempe et PELAGIUM, de qua audiendus S. AUG. L. cit. c. 12. Quid inter istum et Celestium in hac questione distabat, nisi quod ille apertior, iste occultior fuit; ille pertinacior, iste mendacior; vel certe ille liberior, hic astutior? Ille enim nec in Ecclesia Carthaginensi damnare voluit, quod in Romana postea se tenere confessus est, et corrigi paratum se esse professus est, si ei tanquam homini error obrepserit. Iste autem et illud dogma (in Synodo Diospolitana seu Palestina) damnavit tanquam contrarium veritati, ne ipse a Catholicis judicibus damnaretur; et id sibi defendendum postea reservavit, aut mendaciter damnans, aut callide interpretans.

2<sup>a</sup>. Fuit in defensione dogmatis. Nam 1<sup>o</sup>. PELAGIUS æque ac CELESTIUS sat-gebant quæstionem hanc inter illas referre, quæ preter fidei periculum in utramque partem disceptari possint, ut S. AUG. L. cit. c. 23. annotavit. 2<sup>o</sup>. Ita damnabant publice suos errores, ut tamen apud discipulos sensum et explicationem hæreticam retinerent. Illud enim, quod dixerant, non tantum primo homini sed etiam humano generi peccatum primum obfuisse, intelligebant factum *exemplo, non propagine*: quatenus nempe Adamum peccatum omnes imitati sint. Alterum, quo fatebantur infantes non esse in eodem statu, in quo Adam ante prævaricationem fuerat, interpretabantur hoc sensu duntaxat dictum, quod infantes *præceptum capere nondum possint, Adam autem potuerit*. Denique ubi baptismum necessarium parvulis assuerant, necessitatem eam exponebant ad hoc, ut *infantes sanctificarentur in Christo, et heredes regni caelis fierent*, non autem ut peccata illis remitterentur. Quin et parvulos in remissionem peccatorum baptizari; sed hoc sensu admittebant, quod eodem baptismo initiarentur, quo iis, qui lapsi sunt, peccata remittuntur: sive qui ex se et natura sua idoneus est ad peccata delenda; ut iterum constat ex S. AUG. L. cit. c. 4. et 5. et aliis in libris ac ep. 106. (al. 186.) passim. 3<sup>o</sup>. Conabantur imponere Rom. Pontificibus INNOCENTIO et ZOSIMO oblatis fidei professionibus fraudulentis partim errores suos subdole tegentibus, partim obedientiam definitioni Pontificiae simulato spondentibus,

atque hac ratione veniam suo dogmati ac indulgentiam sibi a damnatione aucupantibus; ut ex iisdem fontibus habetur.

3<sup>a</sup>. Accidit in ipsa doctrina. Etenim 1<sup>o</sup>. aliqui PELAGIANI, ut refert S. AUG. L. 1. de pecc. merit. c. 35., propria quædam peccata in parvulis recens natis esse dicebant, quæ per baptismum illis remitterentur. 2<sup>o</sup>. Plures argumentis Catholicorum, ut appareat, convicti, docere cœperunt Adamum post peccatum mortalem esse factum, atque ex eo per generationem ab ejus filiis mortem quidem corporis trahi, non tamen animæ, hoc est, peccatum; ut idem Doctor L. 4. cont. 2. ep. Pelag. c. 2. et 4. n. 6. notavit. Cum his sub prima sui erroris initia sensisse JULIANUM, auctor est Marius Mercator in suo Commonitorio, quamvis postea omnem Pelagi hæresin contra S. Aug. defendendam suscepit. Dimidiatum hunc de originali Pelagianismum renovarunt, etiam postremis seculis Zwinglius, Jacobus Faber, et Erasmus. 3<sup>o</sup>. Reliqui omnes, quos alibi notavimus, errores retinuerunt, novosque diu post Sectatores acceperunt in Anabaptistis et Socinianis.

#### ARTICULUS II.

##### AN EXISTAT PECCATUM ORIGINALE?

#### 70. Dico. Existentia peccati originalis est Dogma fidei.

Ita TRID. Sess. 5. statuit, fatetur et declarat: SCRIPTURA SACRA demonstrat: TRADITIO Ecclesie evincit: et congruae RATIONES persuadent. Argumenta hec validissima jam olim in Pelagianos strinxerunt SS. Patres, qui controyersiam hanc data opera disputarunt. Inter eos primus ac præcipuus est S. AUGUSTINUS, qui hanc materiam copiosissime pertractavit in libris de grat. et peccato originali, de nuptiis et concupiscentia, de peccatorum meritis et remissione, contra duas epistolas Pelagianorum, et adversus Julianum; denique in aliis suis libris et epistolis frequentissime. Post hunc idem argumentum studio singulari versarunt S. PROSPER ad Capitula Genuensium resp. 3., S. FULGENTIUS L. de gratia Christi, HUGO de S. Victore L. 1. de Sacramentis, ANSELMUS L. de conceptu Virginali et peccato originali etc.

#### §. I.

*Quibus argumentis ex Scriptura probetur et vindicetur existentia peccati originalis?*

71. Argumentum I. Sumitur ex Veteri Testamento. Et quidem 1<sup>o</sup>. ex Jobi c. 14. v. 4., quem versio 70. Interpret. sic recitat: *Nemo mundus a sorde, nec infans, cuius est unius diei vita super terram*. Secundum Vulgatam autem sic Deum alloquitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es?* Sic autem argumentor: Sordes et immunditia, de qua loquitur Job, homini inest ab ipsa ejus conceptione, ut patet ex verbis, atque hinc omnibus inheret et in omnes propagatur. Sed hec immunditia non est corporea, sed spiritualis, seu peccatum; tum quia per immunditiam sœpius intelligitur peccatum, ut liquet ex Isa. 64. v. 6. *Facti sumus ut immundus omnes nos, et tanquam pannus menstruatæ universæ justitiae nostre:*

tum quia hanc immunditiam Deus *solum* tollere potest, ut asserit nostra Vulgata : tum quia in cap. sequente v. 14. ex opposito *immaculatus et justus idem sonant* : *Quid est homo, ut immaculatus sit, et ut justus appareat natus de muliere?* ergo.

Ex quo etiam occcluditur effugium Socino, qui hic sermonem esse vult de immunditia comparative ad Deum, in cuius *conspictu* etiam *celi* ibid. c. 45. v. 45. *non sunt mundi*. Haec enim immunditia pro *imperfectione* sumpta a Deo etiam tolli nequit; nec proinde fundat comparationem ad *mundum* et *mundandum*, quam tamen insinuat Vulgata : nec maculam a *sordibus* exprimit, quam 70. Interpret. versio supponit.

2º. Ex Psal. 50. v. 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : et in peccatis concepit me mater mea.* Hic quamvis de peccatis in plurali Vulgata et 70. Interp. enuntient, tamen peccatum originale intelligi potest ; tum quia iuxta S. Aug. in Enchir. cap. 44. et 45. in sacrificis aequae ac profanis scriptioribus usitata est figura intellectionis, qua numerus pluralis pro singulari, et vicissim usurpatur : tum quia Adami peccatum, quod a posteris contrahitur, plures iniquitates, superbiam scilicet, infidelitatem, inobedientiam complectitur ; quibus accedit, quod S. HIERONYMUS aliique fere omnes vim vocis hebraicæ secuti reddant illum versum cum singulari : *in iniquitate, in peccato.* Unde sic : Iniquitas et peccatum, in quo conceptum se David profitetur, erat verum et proprio dictum peccatum ; cum et ipsa vox hebraica et eadem adulterio Davidis in hoc Psalmo attributa id significet. Atqui illud non potuit aliud esse quam peccatum originale ; non enim erat peccatum *personale* Davidis, cuius vel tanquam infans ratione carens in utero materno erat incapax, vel in quo certe ipse non fuerat conceptus : nec erat peccatum *parentum* Davidis; siquidem is ex legitimo sanctoque conjugio natus fuit : dignendi autem actio et honesta et justa est, atque ad fidelium parentum laudem spectat : ac David præterea in hoc loco non suscepit aliorum malitiam incusare, sed proponeret Deo suam miseriā ejusque misericordiam allicere. Consequens itaque est, ut peccatum hoc vitio *primorum parentum* adscribatur, et Deus, qui hominem rectum fecit, et conjugii a Deo instituti officium, et liberorum procreatio extra Manichæorum calumnias collocentur. Hoc autem evicto, David non uni sibi proprium, sed omnibus hominibus communè peccatum expressit; cum scire non potuisse se in peccato esse conceptum, nisi omnes Adæ posteros nasci peccato obnoxios novisset. Vide de his BELLARM. L. 4. de amiss. grat. c. 4.

72. *Argumentum II.* Sumitur ex Novo Testamento. Et quidem 1º. ex epist. ad Rom. c. 5. v. 12. *Præterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt etc.* Et v. 19. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Inde enim sic arguo : Peccatum, quod in mundum intravit per unum hominem, in quo omnes peccarunt, est verum et proprio dictum peccatum. Quamvis enim peccatum in Scripturis nonnunquam sumatur metonymice pro peccati poena, in iis tamen peccare nusquam acceptum legimus pro *puniri*; in uno autem homine omnes peccavisse dicuntur. Præterea sub peccati nomine hie nequit intelligi *mors* tanquam poena; quia alias sensus foret : mors in hunc mundum intravit,

et per mortem mors : nec potest intelligi effectus alius, *pronitas* scilicet *ad peccandum*; eo quod non huic, sed peccato proprie dicto decreta sit mors juxta illud Ezech. 18. *Anima, qua peccaverit, ipsa morietur* : et ad Rom. 6. *Stipendia peccati mors.* Atqui peccatum hoc est ipsum originale peccatum.

Nam 1. non est *peccatum actuale Adami*, quatenus tantum in ipso et personale erat; tum quia non intravit sive peccatum sive mors in mundum ratione solius Adami, sed per Adamum intravit peccatum in omnes homines, quia in Adamo omnes peccarunt, et ita etiam per eum in omnes mors pertransiit : tum quia per unum hominem intelligenda esset potius Eva quam Adamus ; nec inter hunc et Christum toto hoc capite comparatio institui potuisse, si textus recitatus nihil ediceret, nisi coepisse peccatum esse in mundo, dum Adam peccavit.

2º. Non est *actuale peccatum*, quod *ad exemplum Adami* fuerit commissum ab omnibus, et sic imitatione, non autem propagatione in mundum introiverit. Imprimis enim id *antithesis* inter Adamum et Christum hic instituta non patitur : deinde quod hominum plurimi non cognoverunt, ut *infideles*, aut cognoscere non potuerunt, ut *infantes*, aut si quidem cognoverunt, tamen damnarunt, ut multi *fideles*, id certe imitati fuisse dici nequeunt; haec autem omnia respectu peccati Adæ certa sunt. Denique si exemplo introivisset peccatum in mundum, et imitatione homines duntaxat peccassent, mortui essent omnes ob suum et non alterius delictum, nec in alio peccassent, nec per alterius inobedientiam essent constituti peccatores. Præterea Apostolus de imitationis peccato locuturus debuerat potius afferre peccatum *Diaboli* aut *Eva*, per quos prius, quam per Adamum peccatum intraverat. Plura vide in BELLARM. cap. 3. l. c., ubi et Vulgata cum Græco concordiam contra Erasmus vindicat.

2º. Ex 2. ad Corinth. 3. v. 14. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt : et pro omnibus mortuus est Christus : ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit ; quod ratiocinium, ut ostendit Aug. L. 6. cont. Julian. c. 4. n. 8. legitimum non fore, si non homines universi, ac ipsi etiam infantes mortui forent morte peccati.* Item ex epist. ad Ephesios 2. v. 3. *Eramus natura filii iræ, sicut et ceteri.* Cujus sensus est : a primo naturæ nostræ exordio, seu ex nativitate, et sic non consuetudine aut imitatione eramus obnoxii iræ ac vindictæ divinæ; huic autem nemo obnoxius est, nisi ob peccatum : unde consequitur nasci omnes cum peccato.

Nempe id probant verba et ordo textus græci, in quo vox *τέκνα* non tam filium, quam *partum et nativitatem* significat : et secundum constructionem *filiū natura iræ* legitur ; quasi filios naturales, et quod naturam spectat, iræ dicere, ut hos opponeret filii adoptione : probat etiam scopus et finis Apostoli, qui, ut Judæorum jactantiam gentilibus se præferentium retunderet, illos aequae ac hos ex nativitatibus origine aliquando iræ divine obnoxios fuisse declarat, et hinc radicem et causam mali, de quo ante dixerat, scilicet depravate vitae aperit. Unde quamvis vox græca ambigua sit, et Julianus hunc locum sic reddiderit : *Eramus prorsus filii iræ*, hancque interpretationem S. HIER. non rejicit; tamen S. Aug. L. 6. cont. Julian. c. 10. n. 33. recte Vulgatam, quam HIERONYMUS etiam secutus est, præhabendam censuit, præsertim quod eam summus latinorum omnium Codicum consensus firmaret.

73. Obj. I. Unicus locus, unde peccati originalis existentia asseritur, est cap. 3. ad Romanos : sed hic de peccato originali non agitur; ergo. Prob. min. Peccatum originale est, quod habetur per generationem : sed de hoc non loquitur hic Apostolus; quia generatio fit per duos, dicitur autem v. 12. *Peccatum per unum hominem intravit in mundum*; ergo.

R. Precipuum hunc locum esse concedimus, unicum esse negamus, ut ex Patrum testimonio et ratiociniis supra allatis patet. Sed T. M. N. m. Quamvis enim Pelagius, Julianus, Erasmus, Grotius et Joan. Clericus inde demonstrationem peti posse negarint; hoc tamen velut decretorio invicti usi sunt Patres Africani in *Concilio Nationali*, Pontifices Innocentius, Zosimus, Celestinus, Leo et Gelasius, Patres item Arausicani, ac demum Patres Conc. TRID.

Ad Prob. N. m. Scriptura non dissimulavit hominem alterum, nempe Eam, ex cuius cum Adamo conjunctione, peccatum generatione propagetur, ubi Eccli. 25. v. 33. *A muliere, inquit, initium factum est peccati, et per illam omnes morimur.* Verum, ut S. Aug. L. 2. oper. imperf. notat, Apostolus et recte dixit, per unum hominem peccatum intrasse in mundum; quia vir et mulier matrimonio juncti Matth. 19. v. 6. *non sunt duo, sed una caro*: et recte unum Adamum indicavit, tum quia hujus tanquam viri, actio generationis initium est; tum quia ejus ulti capitis, et non Eve peccatum in posteros traducitur.

Inst. 1. Peccatum, de quo sermo est v. 12., debet esse idem, de quo dicitur v. 13. *Usque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.* Atqui hoc postremum est peccatum actuale; quia hoc ante legem Moysis necdum imputabatur: non autem originale, utpote quod ante et post legem juxta nos est imputatum; ergo.

R. Cum S. Aug. L. 6. cont. Jul. c. 4. n. 9. N. m. Non solum actuale, sed et originale ante legem Moysis non imputabatur, hoc est ab hominibus vix ac ne vix quidem aestimabatur, *quia non cognoscetatur, cum per legem orta sit cognitio peccati*, originalis aequa ac actualis. A Deo tamen imputatum fuisse peccatum patet ex poena, quae erat mors toti humano generi communis respectu originalis, et respectu actualis peccati aliae vindictae, quas Deus etiam ante Moysen jam a peccatoribus sumebat. Alii respondent intelligi quidem hic peccatum actuale, quin tamen similis significatio sit in versu priore; quia Apostolus originale peccatum in versu 12. assertum deinceps probare assumpsit per duos effectus, quorum primus est peccatum actuale, de quo versus 13.; secundus mors, de qua versus 14.

Inst. 2. Originale peccatum est id, per quod non tantum mors, sed etiam peccatum homines inficit: sed tale non est peccatum Adami, cum ex Adamo mortem tantum et non peccatum trahamus iuxta v. 14. *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*; ergo.

R. N. m. et rationem. Textum explicant S. Chrys., Aug. et THEODORET. cum quibus D. Qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, hoc est, non peccato personali, nec physice propria voluntate C. nequidem voluntate aliena Adami, et sic simpliciter non peccarunt N. Cum per peccatum intraverit mors in mundum, et mors regnaverit etiam in infantes ante legem scriptam, hujus tanquam justæ poenæ peccatum tanquam causa

mèritoria illis inesse debuit: non autem *actuale* et *personale* fuit, cuius infantes incapaces sunt; ergo originale, quod ab Adamo in sui conceptione contraxerunt.

Inst. 3. Originale juxta nos debet afficere omnes: sed peccatum, de quo Apostolus loquitur, pertinet tantum ad multos et respective ad pauciores; nam v. 19. ait: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obediētionem, justi constituentur multi.* Et v. 15. *Sed non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicti multi mortui sunt, multo magis gratia.... in plures abundavit;* ergo.

R. N. m. Eadem hic significatio est terminorum *multi* et *omnes*, ut ait S. Aug. L. 6. cont. Jul. c. 24. n. 30. *Cum dictum est per unum in omnes transisset peccatum; et postea, per unius inobedientiam peccatores constitutos multos, ipsi sunt multi, qui et omnes;* et hoc quidem, ut recte notat, juxta morem alibi etiam in Scripturis usurpatum, cum etiam Genes. 22. Abraham dicatur: *In semine tuo benedicentur omnes gentes;* cui c. 17. dictum erat: *Patrem multarum gentium constitui te.* Neque plus quidpiam ex altero textu excuspitur, nam *tō in plures gracie legitur in multis: vox autem multo magis non ad excessum justorum ultra peccatores, sed ad superabundantiam donorum præ malis peccato illatis significandam spectat;* cum per Christi gratiam non originale tantum, sed et actualia peccata expientur, ut ex v. 16. constat: *Judicium quidem ex uno in condamnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem.*

Inst. 4. Ex proxime cit. versibus constat saltem, quod non plures per Adæ peccatum constituti sint peccatores, quam justificati sint per obedientiam Christi: sed per hanc non sunt justificati omnes; ergo.

R. N. M. Hunc enim sensum non habent versus proxime laudati, nec ille 1. ad Cor. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes viviscabuntur;* sed istum: sicut, quotquot ex Adamo generantur, ii reatum peccati et mortis contrahunt; ita quotquot in Christo regenerantur, ii justitiam et vitam supernaturem suscipiunt: et e converso, sicut, qui ex Adamo via ordinaria non nascitur, ut Christus, in Adamo non moritur; ita qui in Christo non renascitur, spiritualiter non viviscabitur.

74. Obj. II. Ezech. 18. habetur: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris.* Contrarium fieret in hypothesi peccati originalis.

R. D. Filius non portabit iniquitatem patris, si iniquitatis non sit particeps C. si sit N. Filii paternæ iniquitatis participes esse possunt, vel *imitatione*; ad quos pertinet illud Exod. 20. *Ego sum Dominus... Zeletes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem;* vel *nativitate*, de quibus Apostolus loquitur. Porro qua ratione nos omnes participes simus peccati Adami, explicat S. Aug. L. 3. de pecc. mer. c. 7. n. 14. Nec sic dicuntur ista aliena peccata, tanquam omnino ad parvulos non pertineant: *siquidem in Adam omnes tunc peccaverant, quando in ejus natura illa insita vi, qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt.* Et L. 6. cont. Julian. c. 10. n. 22. *Aliena sunt proprietate actionis, et nostra sunt contagione propaginis.* Ubi præterea c. 28. advertit, citata Ezechieliis verba et dicta Jeremie c. 31. esse prophetica, ac pronuntiare *fœdus novum*, in quo regene-

rati, et qui ad Adamum novum, Christum, pertinerent, suam duntaxat iniqitatem erant portaturi : juxta pactum vetus autem cum Adamo initum filios iniqitatem patris primi portatueros.

*Inst. 1.* Paulus ad Rom. 4. scribit : *Ubi non est lex, nec prævaricatio : sed infantibus non ponitur aut data fuit lex ; ergo.*

*R. D. m.* Infantibus non ponitur, nec data est lex in conceptione eorum, nativitate et infantia C. in primo eorum parente, in quo continebantur subd. non data illis est lex, quam voluntate physice propria violarent C. quam voluntate physica primi parentis, et moraliter sua propria violarent N. Sicut omnes in Adamo peccarunt, sic in eodem posita erat illa lex : *De ligno scientiae boni et mali ne comedas : in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

*Inst. 2.* Scriptura passim dicit, quod Deus reddat unicuique secundum opera ejus : et 2. ad Cor. 3, habetur : *Omnis nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* Parvuli autem nihil operis mali, nec in corpore suo gesserunt; ergo.

*R.* Cum S. Aug. L. 6. cont. Jul. c. 10. n. 23. Scripturæ textus ejusmodi pertinere ad adultos; ideo enim *propria corporis sui dixit, quod ad unumquemque in se ipso jam viventem pertineat.* Quod ipsum ex verbis Apostoli præcedentibus liquet, ubi ait : *Ideo contendimus sive absentes sive præsentes placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet, etc.* Si vero etiam de infantibus verba accipiuntur, ea non sunt exclusiva, cum non dicatur : ut referat unusquisque *tantum propria corporis.* Sicut igitur ad parvulos pertinet Christi meritum, et ob id consequuntur regnum cœleste ex sententia Apostoli in objectione laudata : sic ad eos etiam peccatum Adæ pertinet, ac propter illud a rēgno Dei excluduntur.

## §. II.

*Quibus argumentis probetur ex Traditione, et vindicetur existentia peccati originalis ?*

*75. Argumentum I.* Sumitur ex SS. PATRIBUS, qui ante Pelagium scripsierunt; ejusdem enim tempore aut post illum unanimis et aperta fuit Doctorum sententia pro peccati originalis extantia. Et quidem

*SEC. I.* IGNATIUS in ep. ad Trallianos (Edit. interpol. Biblioth. Magn. Patrum t. 41. p. 6. B.) scribit: *Vos ergo... estote imitatores passionum Christi et charitatis, qua dilexit nos, qui dedit semetipsum pro nobis... ut sanguine suo nos repurgaret a veteri impietate.*

*SEC. II.* S. JUSTIN. in Dial. cum Tryphone n. 88. hec habet : *Ad annem venisse Christum pro comperto habemus... humani generis causa, quod per Adam in mortem et fraudem et seductionem serpentis conciderat, ut interim propriam pro se maligne agentis cuiusque culpam faceqm. S. IREN. L. 3. cont. Hæres. c. 20. (al. 18. n. 7.): Que madmodum per inobedientiam unius hominis, qui primus de terra rudi plasmatus est, peccatores facti sunt multi et amiserunt vitam; ita oportuit et per obedientiam unius hominis justificari multos et percipere salutem. Et L. 5. c. 47, n. 3. Delevit chirographum debiti*

*nostri, et affixit illud cruci; uti quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus nostri debiti remissionem. Alia ex eodem etiam afferit S. AUG. L. 1. cont. Julian. cap. 3.*

*SEC. III.* S. CYPRIAN. ep. 39. ad Fidum : *Quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit... Idcirco haec fuit in Concilio (Carthaginensi III, sub Cypriano ann. 237.) nostra sententia : a baptismo neminem per nos debere prohiberi; quod magis circa infantes ipsos et recens natos observandum putamus. Huic adde TERTULLIAN. L. de testim. Animæ c. 3., de carne Christi c. 16. et 17., de resurrect. carnis c. 34. et cont. Marcion. L. 5. c. 17. Ne quid de ORIGENE laudari solito hie addam.*

*Ex SEC. IV.* proferuntur a S. AUGUSTINO L. 4. cont. Julian. c. 3. 5. et 6. et L. 4. ad Bonif. c. 11.: S. HILARIUS, S. BASILIUS, S. GREG. NAZ., S. CHRYSOSTOMUS, S. AMBROSIUS, item RHETICIUS, OLYMPICS, HILARIUS SARDUS etc., quorum testimonia afferre nimis longum foret.

*76. Argumentum II.* Sumitur ex Pontificum doctrina ac decretis. Hos inter primus refertur SIRCIUS in ep. 1. ad Himer. c. 2. (Labb. t. 2. p. 4018. D.) scribens : *Infantibus, qui nequam loqui poterunt per etatem... omni volumis celeritate succurri, né ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato... fonte salutari, exiens unusquisque de seculo, et regnum perdat et vitam.*

*INNOCENTIUS I.* in rescripto ad Synodi Milevit. Patres de Pelagii et Celestii errore ita scribit (Labb. t. 2. p. 1288. D.) : *Illud vero, quod eos vestra Fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vite præmiis absque baptismatis gratia posse donari, perfatum est... Qui autem hanc in eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare etc.*

*ZOSIMUS* in sua contra Pelagianos epistola scribens sic a S. Aug. ep. 457. (al. 490.) ad Optatum n. 23. refertur : *Ipsius Christi morte, mortis ab Adam omnibus nobis introductæ atque transmissæ universæ animæ, illud propagine contractum chirographum rumpitur, in quo nullus omnino natorum, antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius.*

*COELESTINUS I.* inter capitula epistolæ prime ad Gallos subjuncta sic loquitur cap. 1. (Labb. t. 2. p. 4614. E.): *In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem et innocentiam perdidisse. Cap. 9. ex baptismo ejusque ceremoniis originalem labem etiam infantibus adhærere ostendit.*

Eadem decernunt LEO I. ep. 86. (al. 4.) ad Nicetam Aquileiens. c. 3., GELASIUS I. ep. 7. ad Episcopos per Picenum (Labb. t. 3. p. 4176.), GREGORIUS M. L. 9. ep. 52. (al. 54. opp. t. 3. p. 970.) ad Secundinum.

*77. Argumentum III.* Sumitur a CONCILII, quorum viginti quatuor contra Pelagianam hæresin an. 404. vel 405. exortam intra novemdecim annos, nempe ab anno circiter 412. usque ad an. 431. celebrata fuerunt. Ex his autem præsentim notandum 1<sup>o</sup>. est CONC. CARTHAG. an. 412., a quo Celestii errores detecti et reprobati fuerunt. 2<sup>o</sup>. CONC. DIOSPOLI in Palestina an. 415. habitum, ubi Pelagius suos errores simulate rejicit. 3<sup>o</sup>. HIEROSOLYMITANUM an. 416, cuius meminit MARCUS MERCATOR in Commonitorio cap. 3., ubi fraude detecta Pelagius e civitate sancta ejectus est. 4<sup>o</sup>. CONC. AFRICANUM NA-